



Т. X

1932

Кн. 3

ГОГОСЛОВІА ВОЇСЛОВІА

НАУКОВИЙ ТРИМІСЯЧНИК

ВИДАЄ

БОГОСЛОВСЬКЕ
НАУКОВЕ ТОВАРИСТВО

ЛЬВІВ—LEOPOLI

Зміст (Index)

	Стор. (Pag.)
Dr. M. Schmaus — Kykeley, cuiusdam adhuc ignoti auctoris anglici ineunte saeculo XIV. florentis, Quaestio de de cooperatione divina	193—228
Др. Ярослав Пастернак — Коротка археологія західно-українських земель (Докінчення)	Dr. Jaroslav Pasternak — L'Archéologie des terres ouest-ukrainiennes à l'époque préhistorique, protohistorique et chrétienne (La fin) 229—248
2. Вибрані питання (Analecta)	
Степан Голубев, один з найвизначніших дослідників історії Церкви на Україні (В десятю річницю його смерті 1920 — 8. XI. — 1930) <i>В. Заїкин</i> .	249—257
3. Огляди й оцінки (Conspectus et recensioni)	
Alexius Petrani, S. Th. Dr.: De relatione iuridica inter diversos ritus in Ecclesia catholica (<i>о. Др. Лев Глинка</i>). Dr. Alfred Wikenhauser: Der Sinn der Apokalypse des hl. Johannes (<i>о. А. Іщак</i>). Κωνσταντίνος Μ. Παλλης: Ἐγχειρίδιον τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου κατὰ τὴν Ἑλλάδι ἰσχύον αὐτοῦ; Dr. Bolesław Wilanowski: Rozwój historyczny procesu kanonicznego; G. V. Vernadskij: Die kirchlich-politische Lehre der Epanagoge und ihr Einfluss auf das russische Leben im XVII Jahrhundert (<i>В. Заїкин</i>).	258—267
4. Всячина—хроніка (Varia—chronica)	
Унійні зїзди. Католицькі університети.	267—268
5. Книжки й часописи (Libri et ephemerides)	
	269—272



Dr. M. Schmaus

Prof. univ. Pragae

Kykeley, cuiusdam adhuc ignoti auctoris anglici ineunte saeculo XIV. florentis, Quaestio de cooperatione divina.

Codicis F. 3 bibliothecae cathedralis Worcester primus em. cardinalis F. Ehrle in articulo: Nicolaus Trivet, sein Leben, seine Quodlibet und Quaestiones disputatae (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, Suppl. II, 1—63) mentionem fecit. Accuratus manuscriptum cl. F. Pelster, Heinrich Harclay, Kanzler von Oxford, und seine Quaestiones (Miscellanea Ehrle I, 324) descripsit. Etiam cl. B. Xiberta, Robert Walsingham, carmelita, mestre de teologia d'Oxford, a primeries del segle XIV, Criterion 1928 (4) 147/74, 298/324, codicem commemorat. Inter alia continet fol. 62 r—147 v duo quodlibeta cuiusdam adhuc ignoti auctoris anglici Kykeley et fol. 147 v—166 r quaestiones ordinarias probabiliter eiusdem auctoris. Manuscripta nonnullarum bibliothecarum Angliae operis „Der liber propugnatorius des Thomas Anglicus und die Lehrunterschiede zwischen Thomas von Aquin und Duns Scotus“ conficiendis causa nuper examinans manuscriptum ipse indagare potui. Cum cl. F. Pelster anno 1924 de vita et doctrinis Kykeley nos certiores se facturum esse promiserit, hic titulos quaestionum necnon quaestionem ordinariam de cooperatione divina tractantem publici iuris facere satis habeo. Hanc quaestionem etiam ad diiudicandum quid de hac re s. Thomas senserit, aliquid luminis afferre non dubito. Thomas Aquin. enim pluries allegatur et doctorem angelicum idem ac seipsum sentire auctor putare videtur. Quaestionem ineunte saeculo XIV. exortam esse verisimile est. S. Thomas enim nec sanctus nec venerandus, sed simpliciter Thomas vocatur.

Quantum ad solutionem quaestionis Deum immediate ad omnem operationem creaturarum cooperari actualiter auctor negat. Deum actualiter effective operari in operatione creaturae solum admittit, secundum quod Deus dedit cuilibet creaturae talem formam, quae est principium agendi. Qua forma omnis res ex se potest effective exire in actum nullo alio cooperante supposita generali influentialia et gubernatione et conservatione primae causae. Inprimis quando voluntas determinet se ad actum, voluntatem di-

vinam immediate causare eundem actum negat. Deus istum causat quemlibet actum tantum, quia dedit homini talem potentiam, ut possit ex se totaliter actum suum elicere nullo alio immediate causante. Voluntas igitur est totalis et sufficiens causa sui actus. Tamen essentialiter dependet a Deo, quia ab eo habet suum esse.

Titulos quaestionum non ex tabula fol. 259 v — 260 r exstante desumpsi, sed ex ipso textu.

Manuscriptum mendis non caret. Manifestos errores scriptoris sub silentio correxi. Quae his uncis angulatis [] includuntur, ego addidi, quae vero hoc signo (), delenda esse puto.

Quodlibetum I.

[Fol. 62 r:] In ista generali disputatione erant propositae quattuor et sex quaestiones suo ordine perfectionem continentes ex huius duplicis numeri coniunctione et formali ratione, quia, sicut colligi potest ex dictis Augustini¹⁾ XV *De civitate Dei* cap. 20, in denario quattuor verba legis comprehendite contenta, numeri limes seu terminatio, quia ultra non est novi numeri additio, sed partium denarii replicatio; ideo, ut ipse ibidem dicit, in undenario significatur peccati transgressio et secundum eundem XI²⁾ *De civitate Dei* cap. 29 et IV *Super Genesim* cap. 9 et etiam Bedam³⁾ *Super Genesim* cap. 2 per numerum senarium est operum Dei significata perfectio, eius inest ex omnibus partibus aliquotis perfecta resultatio. Ideo, ut dicunt, quia numerus senarius est perfectus, ideo sex diebus est operum Dei completio et non econverso et, quia omnis perfectio per participationem reducitur ad perfectionem per essentiam, sicut posterius ad prius per naturam, ideo primo de summo perfecto, Deo scilicet, erant aliquae quaestiones propositae. De creaturis quaerebantur aliquae, in quibus sunt perfectiones participatae. De Deo quaerebantur multae, videlicet de simplicitate eius summa, de ratione essendi unam personam in alia(m), de distinctione personarum specifica, de virtuali continentia, de actione eius ad extra et de veritatis creatae secum ab aeterno coexistentia quaestiones tangebantur in determinando in sua forma. Sequuntur quaestiones de creaturis, in quibus est perfectio participata, quarum quaedam pertinent ad creaturas, in quibus est intellectualis natura, quae est suprema, quaedam ad creaturas, in quibus est sensibilis anima, quae

¹⁾ Augustinus, *De civitate Dei*, l. XV, c. 20, n. 4 (PL 41, 465).

²⁾ Augustinus, *De civitate Dei*, l. XI, c. 30 (343 s.); *De Gen. ad litt.* c. l. IV, c. 7, n. 14 (PL 34, 501).

³⁾ Beda, *In Pentateuchum*, l. I, c. 2 (PL 91, 202).

est quasi media, quaedam ad creaturam, quae est inanimata, quae est quasi infima, et qui duplex est intellectualis natura, scilicet angelica et humana, ideo quaerebantur quaedam, quae possunt convenire angelis et hominibus generaliter, secundo quaedam quae conveniunt angelis specialiter. Naturae autem intellectuali creatae conveniunt actiones et habitus pro talis naturae sublimatione, ideo primo quaerebatur de actionis generali ratione, an sit in aliquo subiective, secundo specialiter de actione intellectus agentis in beata visione, tertio de intellectus possibilis simul plurium intellectione, quarto de intellectus practici actione. De habitu autem quaerebatur, primo de eius intensione, secundo de habitus subiectiva informatione intrinseca. De angelo specialiter quaerebatur de eius a loco in locum instantanea motione. De creatura sensitiva quaerebatur de animae, scilicet sensitivae extensione, de creatura inanimata quaerebatur de panis in corpus Christi conversione. Quaerebatur etiam de habitus perfecti privatione, scilicet de modo existendi culpaee et formae istarum quaestionum inferius patebit in determinatione.

[Quaestio 1, fol. 62 r:] Supposito quod personae divinae distinguantur per relationes originis, quaerebatur, utrum distinguantur vel differant specificè vel quasi specificè.

[Q. 2, fol. 65 v:] Utrum creatura aliqua ut contenta in Deo virtualiter aliquo modo distinguatur a Deo vel ab aliqua creatura.

[Q. 3, fol. 68 r:] Utrum anima sensitiva sit extensa ad extensionem totius corporis.

[Q. 4, fol. 69 r:] Utrum repugnat simplicitati divinae, quod sit aliquis conceptus communis sibi et creaturae.

[Q. 5, fol. 73 v:] Utrum in visione beata, qua videtur Deus ut obiectum beatificum, habeat intellectus agens aliquam operationem.

[Q. 6, fol. 76 v:] Utrum per se existendi unam personam in alia in divinis sit relatio.

[Q. 7, fol. 78 r:] Utrum conversio panis in corpus Christi sit subito vel successiva.

[Q. 8, fol. 80 v:] Utrum actio ut actio sit in aliquo subiective.

[Q. 9, fol. 81 r:] Utrum creatio sit possibilis.

[Q. 10, fol. 83 r:] Utrum visio corporalis fiat per emissionem radiorum.

[Q. 11, fol. 85 r:] Utrum materia possit fieri in effectu sine forma.

[Q. 12, fol. 86 r:] Utrum in materia ante terminum generationis praexistat forma secundum aliquam entitatem positivam distinctam ab entitate materiae.

[Q. 13, fol. 88 v:] Utrum essentia et relatio distinguantur formaliter ex natura rei.

[Q. 14, fol. 92 r:] Utrum Deus posset facere aliquam substantiam materialem existere sine omni accidente.

[Q. 15, fol. 93 r:] Utrum caritas vel aliqua alia forma intendatur per aliquid novum inductum intrinsecum ipsi formae.

[Q. 16, fol. 96 v:] Utrum culpa sit aliquid existens in anima subiective.

[Q. 17, fol. 98 v:] Utrum electio sit actus intellectus practici immediate.

[Q. 18, fol. 99 v:] Utrum veritas, qua entia dicuntur vera, sit informans animam subiective.

[Q. 19, fol. 101 v:] Utrum sit aliqua veritas alia a prima veritate aeterna.

[Q. 20, fol. 103 r:] Utrum motus angeli de loco ad locum possit esse in instanti.

[Q. 21, fol. 105 v:] Utrum aliquis intellectus creatus possit simul intelligere plura ut plura.

[Q. 22, fol. 109 v:] Utrum Deus referatur ad creaturam relatione reali.

Quodlibetum II.

[Fol. 113 v] In secunda generali disputatione decem et octo quaestiones quaerebantur, quae sub numero decem verborum legis et octo beatitudinum continebantur, quarum quaedam erant de Deo in sua natura, quaedam de creatura. De Deo autem quaerebantur multa, scilicet de eius unitate, de eius potentialitate, de eius executiva virtute, de eius scibilitate, de una eius relatione et de eius causalitate. De creatura vero quaerebantur multa, quaedam quae respiciunt eam pro hac vita misera, quaedam quae respiciunt eam pro vita alia. Primo modo quaedam respiciunt eam quoad habitum, quaedam quoad actum et quoad motum. Quoad habitum possunt eam respicere dupliciter, vel quoad habitum virtuosum vel vitiosum. De habitu vitioso quaerebatur de virtute heroica in comparatione ad eius subiectum et habitum non heroicum. Duo autem quaerebantur quantum ad habitum vitiosum, scilicet quantum ad concupiscentiae vitium consummendum per multiplicem caritatis actum et quantum ad expulsionem culpae per gradum gratiae inductum. Quaedam vero quaerebantur de creatura quantum ad eius actum et hoc duplicem, vel intrinsecum vel extrinsecum: quantum ad intrinsecum duplicem, scilicet quoad voluntatem et intellectum; quoad

voluntatis actum dupliciter, scilicet quantum ad actum meritorium et quantum ad dilectionis naturalis Dei excessivum gradum; quoad intellectus actum dupliciter vel ex parte principii, primo, scilicet quantum ad formale principium vel ex parte termini quantum ad verbum genitum. Quantum ad actum extrinsecum quaeritur unum, an actus peregrinandi debet referri contemplationi quoad utilitatis fructum. Quantum ad motum fuit unum quaesitum, scilicet an aliqua forma posset terminare intensiorem et remissionem motum. Quantum ad ea, quae respiciunt creaturam pro alia vita, quaerebantur aliqua, quaedam quae respiciunt eam in vita beata et iucunda, quaedam in vita acerba. Quantum ad primum statum erant duo quaesita, scilicet sine actu medio de Dei visione immediata, alia quaestio de Dei visione sine similitudine media. De vita creaturae acerba, quaerebatur quaestio una, scilicet de purgatorii diuturna poena. Et quia a communioribus ad propria innata est nobis via, ideo primo incipiendum est a quaestione generaliter proposita tum quia est de altissima materia, et erat quaestio ista:

[Q. 1, fol. 113 v:] Utrum sit tantum unus Deus.

[Q. 2, fol. 116 r:] Utrum possibile sit aliquam creaturam rationalem diligere Deum dilectione naturali super omnem creaturam.

[Q. 3, fol. 117 r:] Utrum de Deo possit haberi scientia proprie dicta a priori concludendo unam rationem perfectionalem de alia.

[Q. 4, fol. 119 r:] Utrum aliqua virtus heroica possit compati secum aliam virtutem heroicam vel non heroicam in eadem persona,

[Q. 5, fol. 120 v:] Utrum ingenitum dicatur de Deo secundum relationem.

[Q. 6, fol. 122 v:] Utrum in Deo sit magis causa rerum volitio bonitatis vel cognitio veritatis.

[Q. 7, fol. 125 v:] Utrum viator habens gratiam possit elicere actum absque speciali influentia divina.

[Q. 8, fol. 127 v:] Utrum Deus possit potentiam cognitivam reducere ad actum sine obiecto cognoscibili, puta visum sine visibili.

[Q. 9, fol. 128 r:] Utrum duorum, qui eadem poena digni sunt, unus diutius moretur in purgatorio quam alius.

[Q. 10, fol. 130 r:] Utrum actus peregrinandi sit melior actu contemplandi pro aequali tempore cum bona dispensatione aequalium expensarum.

[Q. 11, fol. 131 v:] Utrum vitium concupiscentiae possit omnino consumi in via per opera caritatis.

[Q. 12, fol. 133 v:] Utrum in visione beata praeter lumen gloriae requiratur aliqua specialis similitudo divinae essentiae.

[Q. 13, fol. 134 v:] Utrum expulsio culpaе praecedat infusionem gratiae.

[Q. 14, fol. 137 v:] Utrum substantia possit esse proprium et determinatum principium formale quo intellectui creato beato vel non beato.

[Q. 15, fol. 142 r:] Utrum verissimum verbum imaginis sit cogitatio formata ex scientia in memoria per aciem cogitantis.

[Q. 16, fol. 145 a (!):] Utrum aliqua forma numero possit esse terminus istorum motuum, scilicet motus intensioris et motus remissioris.

Quaestiones ordinariae.

[Fol. 147 v:] Incipiunt quaestiones ordinariae.

[Q. 1, fol. 147 v:] Quaestio est, utrum principium formale et immediatum elicativum omnium actionum notionalium in divinis sit ipsa essentia divina absolute.

[Q. 2, fol. 151 r:] Utrum pater et filius concurrant in unitate principii activi respectu spirationis spiritus sancti.

[Q. 3, fol. 152 v:] Utrum si spiritus sanctus non procederet a filio, an posset distingui personaliter ab eo.

[Q. 4, fol. 155 r:] Utrum cum summa unitate et simplicitate principii simpliciter illimitati stet distinctio aliquorum realiter et formaliter distinctorum ab eodem.

[Q. 5, fol. 158 v:] Utrum productio creaturarum per actum creandi praesupponat necessario trinitatem personarum in ratione causae.

[Q. 6, fol. 161 r:] Utrum Deus cooperetur actualiter cuicumque causae in causatione cuicumque effectus. [Finitur fol. 166 r.]

Quaestio ordinaria 6.

[Fol. 161r:] **Quaeritur, utrum Deus cooperetur actualiter cuicumque creaturae in causatione cuilibet effectus.**

Quod non. Quia causa et effectus proportionantur. Ergo unus effectus erit ab una causa. Per consequens non oportet, quod Deus cooperetur.

Ad oppositum [adduco] auctoritatem *De causis*¹⁾ propositione prima: Omnis causa primaria plus influit in causatum quam causa secundaria, quod non esset, nisi cooperaretur.

In ista quaestione intendo sic procedere: Primo quia quaestio quaerit de cooperatione Dei effectiva, ideo primo volo inquirere, an Deo proprie conveniat efficientia, secundo an cum actione creaturae sit actionis Dei necessaria coexigentia, tertio an ad hoc sufficiat generalis influentia vel requiratur actualis agentia. Ex his patebit solutionis quaestionis evidentia et argumentorum insufficientia.

[Articulus primus.]

De primo sunt duo inquirenda, an sit causa efficiens universaliter omnium entium, secundo an sit proprie efficiens.

[l. 1.] De primo dicunt aliqui, quod de mente philosophorum, maxime Aristotelis²⁾ et eius Commentatoris fuit, quod Deus est causa efficiens universaliter omnium entium. Sed distinguitur secundum Commentatorem³⁾ in *De substantia orbis* tractatu secundo de causa efficiente seu agente [fol. 161 v], quod est agens seu efficiens sine motu et est agens per motum. Agens primum praecedit actum natura, non tempore. Sed agens secundum praecedit actum natura et tempore. Quando igitur dicit Philosophus vel Commentator, quod intelligentiae non sunt ab aliquo alio ut ab agente et quod non habent causam efficientem, non intellegunt aliud, nisi quod non causantur per transmutationem et motum; sed quod non habeant causam largientem esse et substantiam sine transmutatione et motu, non intellegunt, sed magis oppositum. Unde sicut duplex est finis, sicut haberi potest a Philosopho⁴⁾ et Commentatore⁵⁾ XI *Metaphysicae* com. 37, unus qui praeexistit actui et motui, sicut dominus praeexistit actionibus servorum suorum, et alius qui non praeexistit motui, sed per ipsum magis acquiritur, sicut sanitas acquisita per motum, sic etiam est duplex agens, ut dictum est, per motum et sine motu. Sicut igitur intelligentiae habent Deum pro fine non adquisito per motum, sed pro fine praeeistente, quem

¹⁾ Liber de causis, § 1 (ed. Bardenhewer).

²⁾ cf. Aristoteles, *Physic.* l. VIII, c. 5; *Metaph.* l. XI, cc. 6 et 7; Averroes, *Physic.* l. VIII, com. 35—37, fol. 97 v—98 r; *Metaph.* l. XI, com. 36—38, fol. 321 v—322 v.

³⁾ Averroes, *De substantia orbis*, fol. 258 va (in parte prima editionis).

⁴⁾ Aristoteles, *Metaphys.* l. XI, c. 7.

⁵⁾ Averroes, *Metaphys.* l. XI, com. 37, fol. 322 r.

intendunt per suas actiones, ita habent ipsum pro causa agente non per motum, sed sine motu, et quia istam distinctionem de agente multi non intellexerunt, ideo circa causalitatem entium erraverunt. Ideo dicit Commentator¹⁾ *De substantia orbis* ubi supra: „Cum hoc quidam ignoraverunt esse de opinione Aristotelis, dixerunt ipsum non dicere causam agentem totum, sed tantum causam moventem et illud fuit valde absurdum“. Commentator²⁾ etiam II *Metapsyhicae* com. 4 dicit, quod manifestum est, quod haec est causa omnium entium, et declaratum est, quod ista est magis digna in esse et veritate quam omnia entia. Omnia entia non adquirunt esse et veritatem nisi ab ista causa. Est igitur tantum [unum] ens per se et verum per se et omnia entia et vera per esse et veritatem et Commentator³⁾ *De substantia orbis* cap. 4 dicit, quod dator continuationis motui est dator esse omnibus aliis entibus.

[2.] Contra videtur, quod non fuit de mente Philosophi et Commentatoris, quod substantiae aeternae habeant causam efficientem sui esse, quia si sic, quod factum est a causa efficiente, possibile est fieri, quia quod impossibile est fieri, impossibile est factum esse. Si igitur substantia aeterna ut intelligentia secundum mentem Philosophi et Commentatoris sit perfecta sive per motum sive sine motu, possibile fuit fieri, aut igitur potentia sui aut sui factoris; non primo modo, quia in nulla substantia aeterna est potentia ad esse, ut dicit Commentator⁴⁾ XI *Metaphysicae* com. 40. Si esset possibile fieri sola potentia factoris, ergo crearetur, quod non concederet Commentator⁵⁾.

Item si secundum mentem Philosophi et Commentatoris Deus esset causa efficiens totius entis, ergo faceret aliquid nullo praesupposito, quod non concedunt philosophi, quia ex nihilo nihil potest fieri. Unde videtur esse dicendum, quod, ubicunque loquuntur Philosophus et Commentator de causalitate primi respectu substantiarum separatarum, quod solum intellegunt de causalitate finali, non autem efficiente nisi aequivoce extendendo nomen efficientis ad causalitatem finalem. Unde dicit Commentator⁶⁾ *De generatione* cap. de facere et pati: „Si aliqua, inquit, forma fuerit abstracta, non habet causam agentem nisi aequivoce“.

¹⁾ Averroes, *De substantia orbis*, fol. 258 va (in parte prima).

²⁾ Averroes, *De substantia Metaphys.* l. II, com. 4, fol. 250 rb.

³⁾ Averroes, *De substantia orbis*, fol. 259 rb.

⁴⁾ Averroes, *Metaph.* l. XI, com. 41, fol. 325 rb.

⁵⁾ cf. Geyer-Baumgartner, 317.

⁶⁾ Averroes, *De gen. et corr.* com. 55, fol. 189 vb.

Item Commentator¹⁾ XI *Metaphysicae* com. 43 dicit: „Ab agente nihil praëvenit nisi extrahere illud, quod est in potentia in actum. Sed illic, scilicet in principiis abstractis, non est potentia, unde neque agens“, scilicet vere, ut dicit ibidem, sed solum est in illis agens superficietenus. Unde in eodem commento recitat op(p)inionem Avicennae²⁾, qui dixit IX *Metaphysicae* suae c. 4, quod una necessaria est causa efficiens alterius. Dicit Commentator³⁾, quod „iste sermo est imaginabilis. Non enim est illic praeventus neque executio neque actio, ita quod dicamus, quod una actio sequitur unum agentem tantum; est illic causa et causatum (et) secundum quod dicimus, quod intellectum est causa intellegentis; et cum ita sit, non est impossibile, ut illud, quod per se [est] intelligentia et intellectum, sit causa plurium entium, secundum quod ex eo (quod) intelleguntur multi [modi]“, et est in illis talis causalitas adinvicem, ut dicit Commentator⁴⁾ eodem commento, qualis est plurium artium, quae ordinantur ad unam. Sed talis causalitas est finis, ut patet per Philosophum⁵⁾ et Commentatorem⁶⁾ primo *Ethicorum*. Unde dicunt, quod, ubicunque Philosophus vel Commentator dicunt primam causam habere efficientiam respectu substantiarum separatarum aeternarum, quod accipiunt causam efficientem aequivoce.

[3.] Contra Philosophus⁷⁾ II *Metaphysicae* probat statum in causis efficientibus, ut distinguuntur a finalibus. Ergo necesse est devenire ad unam causam primam efficientem. Accipio ergo substantias aeternas: aut quaelibet habet esse suum effective a se aut est reducere ad aliquod unum primum. Si quaelibet habeat a se, cum illud, quod habet esse a se et non ab alio, sit primum in isto genere, cum multae sint substantiae aeternae, sequitur, quod multa sint prima in genere causae efficientis. Hoc est impossibile. Ergo necesse est, quod omnia entia pariter unum habeant causam effectivam sui esse.

Item non obstat, si ponantur sempiterna(e), quod habeant causas, sicut patet per Philosophum⁸⁾ VIII *Physicorum*, ubi

¹⁾ Averroes, *Metaph.* I. XI, com. 44, fol. 324 ra.

²⁾ Avicenna, *Metaph.* tr. 9, c. 4 (ed. Venetiis 1495).

³⁾ Averroes, *ibid.*

⁴⁾ Averroes, *ibid.*

⁵⁾ Aristoteles, *Ethic.* I. I, c. 7.

⁶⁾ Averroes, *Ethic.* I. I, com. 4 (deest paginatio).

⁷⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. I (α), c. 2.

⁸⁾ Aristoteles, *Physic.* I. VIII, c. 1.

arguit contra Democritum, quod sempiterna non habeant causas, asserentem. Dicit, quod, quamvis trigonus semper habeat tres angulos aequales duobus rectis, huius tamen perpetuitatis est aliqua causa, et hoc probat sic: Conclusiones demonstrationum sunt simpliciter necessariae, quia ex necessariis concluduntur, et tamen suae necessitatis habent causam quoniam principia. Ergo perpetuorum potest poni aliqua causa.

[4.] Contra: Causa efficiens est unum principium motus per Philosophum¹). In sempiternis non est motus, quia non possunt aliter se habere, ergo nec causa efficiens.

Item in quibus est motus, non esse secundum tempus praecedit esse, quia talia, dum moventur ad esse, non sunt entia. Sed contra rationem sempiterni est, quod post non esse capiat esse.

Item si sempiterna haberent causam effectivam: aut esset propter fieri eorum aut conservationem eorum in esse; non propter fieri, quia non fiunt, nec propter esse aut conservationem eo quod sempiterna sunt: necessaria sunt et ita non possunt non esse.

Item, sicut dicit Avicenna²), omne illud, cuius esse est ab alio, quantum est ex se, potest non esse. Si ergo sempiterna haberent causam efficientem, a qua dependerent quantum ad suum esse, possent non esse. Hoc est contra rationem sempiterni, quia, si aliquid ex se possit non esse, ipsum in se consideratum habet potentiam non essendi. Haec potentia non reperitur sine materia. Ergo habent materiam. Omne habens materiam est corruptibile. Ergo sempiternum si in se possit non esse, erit corruptibile.

Ad primum istorum potest dici, quod efficiens [dat] duplex: fieri et esse. Primum est principium transmutationis et motus, secundum non semper, quia esse immutabilium emanat a primo sine transmutatione et motu, ut dictum est supra; vel potest dici, ut dicit Avicenna³), quod efficiens est duplex, naturale et divinum. Naturale est unum principium motus. Divinum non, immo sicut ex principiis trianguli fluit haec passio, quae est habere tres [angulos] sine transmutatione et motu, sic aliqua entia fluunt a primo.

Ad secundum potest dici, quod, quae sunt causata ab efficiente naturali, non esse secundum tempus praecedit suum esse, sed hoc non oportet de agente secundo modo dicto.

Ad tertium, quod in sempiternis quae sunt citra primum, requiritur causa efficiens, ut esse influat eis et ut esse influxum conser-

¹) Ibid. cc. 4 et 5.

²) Avicenna, Metaphys. tr. 2, c. 2 (ed. Venetiis 1495).

³) Avicenna, Metaph. tr. 6, c. 1.

vet, et sicut, si sol ab aeterno existisset [fol. 162 r] in meridie, aeternaliter esset dies, similiter semper sunt entia eo, quod primum semper influit.

Ad quartum, quod aliquid esse ab alio est dupliciter: effective vel formaliter; quod habet esse ab alio primo modo, potest habere esse necessarium, quod autem formaliter, non. Unde inter entia solum primum est non habens esse ab alio effective. Sed sempiterna citra primum, licet habeant esse a primo effective, habent tamen naturam propriam, quam consequitur semper esse.

[5.] Contra si sempiterna habeant esse ab alio circumscripto illo esse, quod ab alio recipiunt, ipsa in se considerata aut possunt non esse aut non. Si possunt non esse, ergo sempiterna in seipsis non sunt necessaria, sed corruptibilia. Si non, ergo in seipsis sunt necessaria. Quare ad sui conservationem in esse non indigent alio. Per consequens non indigent causa efficiente.

Praeterea ista, quae sunt statim illud quod sunt, non habent in se potentiam perfectibilem per actum, quia, in quibus est potentia ad actum, in eis reperitur quaedam expectatio perfectionis essendi, ita quod non statim sunt illud quod sunt. Sed separati a materia sunt statim illud quod non sunt, sicut statim ens est substantia, non per additum. Ergo in eis non est potentia perfectibilis per actum, per consequens nec causa efficiens, quia finis efficientis est actus perfectivus potentiam.

Ad primum istorum potest dici, quod positio illa includit incompossibilia, in quantum ponit sempiterna aliquid esse in se circumscripto eo, quod a primo recipiunt. Primum enim in causando differt a causis secundis in hoc, quod causat totum esse rei et alia agentia partem solum. Ergo circumscripto toto eo, quod sempiterna recipiunt a primo, quod relinquitur, nihil est et ita neque necessarium neque possibile. Et potest dici, quod illud relictum potest non esse, quia impossibile est ipsum esse, et possibile non sequitur ex impossibili.

Ad secundum, quod licet intelligentiae sint statim illud quod sunt, tamen in eis reperitur potentia, quia omne citra primum est aliquo modo compositum ex actu et potentia. Sed ista potentia non est natura alia ab actu faciens cum eo compositum, sicut in materialibus. Sed est quaedam imperfectio istius entitatis, quae reperitur in primo, sicut albedo est actus simplicior quam pallor, quia pallor imperfecte participat naturam albedinis. Unde pallor non est nisi quaedam albedo diminuta. Quasi sic est in eis. Si tamen in eis esset potentia recipiens actum quasi

aliqua natura, circumscripto actu influxo a primo maneret aliquid quasi recipiens actum. Sed non est ita. Ideo non requirunt efficiens naturale, sed divinum.

[Il. 1.] Dicunt igitur aliqui secundum mentem Philosophi¹⁾ et Commentatoris²⁾, quod Deus est causa efficiens non proxima, sed prima remota omnium istorum, quae efficiuntur. Unde Philosophus³⁾ Il *Metaphysicae* non plus probat, nisi quod in causis efficientibus sit devenire ad unam primam, sicut in causis materialibus ad unam primam, ut sicut omnium materialium est una prima materia, ita omnium effectivorum est unum primum efficiens. Nunc autem secundum mentem Philosophi⁴⁾ primum causatum per modum causae efficientis est motus, quia primo extrahitur de potentia ad actum, quod proprie pertinet ad efficientem et mediante motu efficiuntur alia inferiora. Deus tamen est prima causa causalitate finali non solum effectivorum, sed omnium qualitercunque existentium. Unde secundum mentem Philosophi, licet Deus in genere causae finalis habeat causalitatem immediatam respectu alicuius, respectu tamen nullius habet causalitatem immediatam in genere causae efficientis.

[2.] Contra: Quod non fuit de mente Philosophi negare, quin Deus posset producere aliquid ex nihilo, et per consequens quin posset esse causa efficiens omnium simpliciter qualitercunque existentium, quia Philosophus⁵⁾ et Commentator⁶⁾ XI *Metaphysicae* 41 dicunt primo, quod motus primus necessario est a duobus motoribus, scilicet coniuncto et separato. Ex hoc arguit sic, quod prima causa (prima) et secunda concurrunt ad effectum, non potest intellegi nisi tripliciter: vel quod prima causa producat secundam, et tunc concurrunt, quia secundum est a prima; vel quia prima non producit secundam, sed dat sibi influentiam vel motum sicut manus baculo; vel quod ambae immediate concurrunt respectu effectus, unum tamen principalius sicut sol et generans particulariter respectu unius hominis generati, ita quod utrumque agat propria virtute, unum tamen principalius. Sed isto tertio modo, ut dicunt, non possunt Deus et motor coniunctus [con]currere respectu motu

¹⁾ Aristoteles, *Physic.* I. VIII, c. 5; *Metaphys.* I. XI, cc. 6 et 7.

²⁾ Cf. Averroes, *Physic.* I. VIII, com. 35—37, fol. 97 v—98 r; *Metaph.* I. XI, com. 36—38, fol. 321 v—322 v.

³⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. I (α), c. 2.

⁴⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. XI, c. 6.

⁵⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. XI, c. 8.

⁶⁾ Averroes, *Metaph.* I. XI, com. 41, fol. 323 rb.

caeli, quia secundum intentionem Philosophi¹⁾ nihil potest primus motor movere in tempore immediate per se neque cum alio neque potest poni, quod concurrant secundo modo, quod necessarium movens recipiat influentiam a Deo et motum tum, quia ista intelligentia ita immobilis est sicut Deus, quia caelum est primum mobile, tum quia si reciperet influentiam, sic reciperet esse a Deo, quia secundum mentem Philosophi nullum accidens est in ista et tunc habetur propositum, quod si causat influentiam in ea, causat esse in ea. Ergo oportet, quod intellegat Philosophus, quod Deus et motor conjunctus concurrant primo modo, et tunc potest salvari intentio Philosophi, quod primum movet in ratione efficientis et finis, ita quod movet in ratione efficientis ipsum caelum mediate. Immediatus tamen eius effectus est prima substantia dependens et ista movet caelum effective immediate propter amatum et desideratum et sic Deus immediate movet istam intelligentiam finaliter et tunc potest salvari, quod propter eius infinitatem motus est infinitus secundum durationem. Sed propter movens proximum est in tempore et esset finitus, quantum est ex parte istius motionis secundum se. Si enim tam intelligentia movens quam Deus essent a se incausabiliter, non esset maior ratio, quare unum plus dependeret ab alio quam econtra, nec quare magis unum esset primum ens quam aliud.

Item secundum Philosophum²⁾ est ibi ponere intellegens et intellectum inter intelligentias et manifestum est, quod obiectum movet ad intellegere, quia secunda intelligentia potest intellegere primam perfecte in quantum ens et non potest esse perfecte intellecta prima intelligentia, nisi ipsa moveat intellectum secundae intelligentiae, quia inferius nunquam movet ad perfectam intelligentiam superioris. Ergo oportet, quod ibi sit causalitas ex parte intellectionis, ergo erit et causa esse secundum Aristotelem³⁾, quia non posuit intellectionem differre ab esse nec ab essentia in intelligentiis.

Unde dicit, quod Deus potest sic creare, hoc est quod potest creare aliquid post nihil ordine naturae sine aliquo praesupposito, quod sit pars causati. Et hoc probat primo sic. Deus potest aliquem effectum immediate causare immediatione effectus, ita quod nullus effectus immediatius causatur, et non loquitur, ut dicit, de immediatione causae, sed effectus. [Sed effectus] Deo immediatissimus

¹⁾ Cf. Aristoteles, *Metaph.* I. XI, cc. 7 et 8.

²⁾ Cf. Aristoteles, *Metaph.* I. XI, cc. 7. et 9.

³⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. XI, c. 9.

[ab ipso] creatur¹⁾. Ergo etc. Maior patet. Aliter enim Deus nihil posset immediate causare, quia si inter istum effectum et Deum causantem sit alius effectus immediatior et ante istum alius, erit processus in infinitum in per se ordinatis. Per consequens omnino nihil potest causari. Minor patet, quia effectus immediatissimus Deo non praesupponit alium effectum. Ergo non praesupponit nisi causam, quia, quidquid est a Deo, habet dependentiam essentialem ad Deum et per consequens Deus est causa eius, quia, ut habetur XII *Metaphysicae*²⁾, a primo dependet caelum et tota natura, quia, si poneretur aliquid aliud a Deo et non haberet dependentiam essentialem ad Deum, illud nihil esset universi, quia ad unum omnia, quae sunt in universo, habent ordinem essentialem. Nunc autem non dependet aliquid essentialiter ab alio, si illud non esset aliquo modo causa eius, quia, quod nullo modo habet causam aliquam aliam a se, est necesse esse in se et a se. Tali vero repugnat non esse quocumque posito citra aliud a se. Sed quod habet essentialem dependentiam ad aliud, isto alio destructo non habet esse. Ergo ista repugnant, quae aliquid [162 v] habeat essentialem dependentiam et quod nullo modo habeat causam aliam a se. Effectus ergo immediatissimus Deo non praesupponit nisi Deum. Ergo creatur.

Item arguit sic: Aliquid est producibile a Deo. Illud igitur est per se unum, aut igitur simplex aut compositum. Si simplex, totum producitur post non esse ordine naturae, quia nihil praesupponit [quod] aliquid eius. Si est compositum, tunc in composito sunt partes; quaecumque istarum est creabilis totaliter, quia si detur aliqua pars, quaero: aut est necesse esse a se aut non. Si non, ergo creabilis; si sic, ergo non potest esse potentiale aut componibile cum alio, quod non est necesse esse, tum quia nihil componitur ex necesse esse a se et non necesse esse a se, tum quia nullum necesse esse¹⁾ a se est cum alio componibile. Ergo stabitur ad aliquid prius causatum, quod nihil praesupponit nec aliquid eius.

Tenet ergo iste, quod per rationem naturalem potest probari isto modo creatio. Nec, ut dicit, Philosophus sensit contrarium primo *Ethicorum*³⁾ et *Metaphysicae*⁴⁾ nec alibi, et licet Aristoteles non dixerit Deum creare aliquid ita, quod faceret illud de nihilo, id est post nihil ordine durationis, sicut nos ponimus crea-

¹⁾ Ms. habet *causatur*.

²⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. XI, c. 7.

³⁾ Cf. Aristoteles, *Ethic.* I. I, cc. 6, 7, 12.

⁴⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. I, cc. 2—10, inprimis 9 et 10.

tionem, tamen illud potest esse notum demonstrative per rationem naturalem nec contrarium dixit Philosophus. Quod autem possit demonstrari, arguunt sic. Prima causa potest producere aliud a se voluntarie, et quod producitur voluntarie, producitur mere contingenter. Ergo potest produci non sempiternaliter. Ergo prius potest creare dando esse post non esse prius duratione. Prima propositio patet. Tam philosophi quam catholici posuerunt primum agere per intellectum et voluntatem licet aliter et aliter. Nam, ut habetur II *Physicorum*¹⁾, omne agens per se agit propter finem, vel igitur propter finem, quem cognoscit, vel quia dirigitur a cognoscente finem. Cum igitur primum agens non dirigatur ab alio, quia tunc esset primum — nam superioris est dirigere — ideo dicit Philosophus²⁾, quod sapientis est ordinare, et secundum omnes primum agens est agens per se. Ergo cognoscit finem. Agit igitur per intellectum et voluntatem. Ergo non necessario potest producere aliud a se, sed voluntarie. Secunda propositio probatur. Si primum agit voluntarie producendo aliud a se, hoc erit mere contingenter, quia illud agens, quod agit per voluntatem et non necessario, vult aliud a se fore, non necessario producit aliud a se, quia illud agens, quod vult finem propter se, non vult propter aliquid aliud necessario a fine, nisi illud aliud sit necessarium propter finem vel ad quaerendum finem vel, si apprehendatur, ad perfectius habendum vel ad firmiter tenendum. Sed nihil aliud a Deo est necessarium sibi ad conquirendum finem nec ad perfectius habendum nec ad tenendum. Ergo non necessario vult aliud fore a se. Et producit per intellectum et voluntatem. Ergo non necessario producit aliud a se. Ergo non sempiternaliter producit aliud a se.

Item impossibile est aliquid fieri contingenter sive in universo sive in causis naturaliter agentibus, nisi primum agat contingenter, quia si prima causa necessario moveret ad aliquid, et secunda movet tantum mota, ergo necessario movet tertium et sic, quousque devenias ad effectum, et si impedimentum in proxima causa contingat, cum ista causa non moveat nisi mota nec sua causa, si igitur prima causa moveat ad impediendum, necessario ista res non eveniet. Ergo vel necessario eveniet vel necessario non eveniet et sic nihil contingenter. Oportet ergo concedere, quod Deus possit contingenter causare. Huic opinioni videtur concordare Henri-

¹⁾ Aristoteles, *Physic.* I. II, c. 3.

²⁾ Aristoteles, *Physic.* I. II, c. 4; *Metaph.* I. I, c. 2.

cus¹⁾ VIII Quolibet q. 6 in fine, ubi dicit, quod creaturam esse productam a Deo infallibili ratione et naturali demonstrari potest sustinentes primam viam, quod numquam fuit de mente Philosophi nec Commentatoris, quod Deus esset efficiens causa omnium simpliciter nec umquam voluit, quod aliquid posset de nullo praesupposito producere.

[3.] Ad primam rationem, quando dicunt secundum Philosophum et Commentatorem, quod motus primus est a duobus motoribus, conceditur, et quando dicitur, quod causa prima et secunda non concurrunt ad effectum nisi tripliciter, dicitur, quod sic unum ex insufficienti procedit. Nam motor primus cum motore concurrat ad causandum motum, quia motor coniunctus concipit influentiam a primo. Sed hoc potest intellegi dupliciter, vel quia accipit influentiam a primo tanquam a causa efficiente, et sic non intellegit Philosophus, ut dictum est, quia nihil accipit influentiam a motore efficiente, nisi illud in quo est potentia passiva ad motum. Sed in motore coniuncto nulla est potentia passiva, neque per se neque per accidens, sicut probat Philosophus²⁾ et Commentator³⁾ VIII *Physicorum*. Alio modo potest intellegi, quod motor coniunctus recipit influentiam a primo motore tanquam a causa finali, et sic intellegit Philosophus et Commentator, quod motor coniunctus et separatus concurrunt ad primum motum, quorum unus, scilicet motor coniunctus est finitae motionis et est anima existens in eo, ut dicit Commentator⁴⁾ 48, et alter est infinitae motionis et est potentia, quae non est in materia. Secundum igitur, quod movetur a potentia finita, quae est in motore coniuncto, movetur in tempore et rationem huius dat Commentator⁵⁾ ibidem, quia motor (!) oportet habere proportionalitatem terminatam ad rem motam et in movendo et in sua substantia. Substantia enim motoris coniuncti est aeterna.

Aliud subiectum eius, scilicet mobile est aeternum ita, quod in neutro horum est possibilitas in substantia, sed in subiecto, id est in mobili est possibilitas ad recipiendum motum. Sed in motore coniuncto est possibilitas in movere tantum et secundum diversi-

¹⁾ Henricus Gand, Quolibetum VIII, q. 6.

²⁾ Cf. Aristoteles, *Physic.* I. VIII, c. 5.

³⁾ Averroes, *Physic.* I. VIII, com. 36, fol. 98 r.

⁴⁾ Averroes, *Physic.* I. VIII, com. 47 et 48, fol. 101 vb.

⁵⁾ Averroes, *Physic.* I. VIII, com. 47 et 48, fol. 101. vb.

tatem istius proportionis inter corpora caelestia et eorum animas, id est inter motores coniunctos diversantur in velocitate et tarditate. Per consequens sic habent movere in tempore. Sed in hoc conveniunt, scilicet mobile et motor coniunctus, quia moventur a potentia non in materia, sed habent aeternitatem motus et continuitatem motus. Sed debetis intellegere, quod, licet mobile et motor coniunctus conveniant in hoc, quod utrumque movetur a potentia non in materia, hoc tamen non est eodem genere motionis, quia motor coniunctus pro eo, quod in eo secundum *Commentatorem*¹⁾ non est potentia, nisi ut moveat, non movetur a primo motore nisi per modum finis, non autem per modum efficientis; sed quia in possibili est potentia passiva ad recipiendum motum, ideo movetur a motore primo per modum efficientis, sed non immediate, sed mediante motore coniuncto et per hoc solvitur obiectio, quam *Commentator*²⁾ ibi facit contra se, quod, licet caelum moveatur a potentia infinita, non tamen movetur in non tempore, quia non movetur ab eo nisi mediante motore coniuncto, qui non movet nisi determinata velocitate propter proportionem eius ad mobile, et licet in motore coniuncto sit potentia, ut non moveat, quantum est de se, sicut et in suo mobili est potentia, ut quiescat, quantum est in se, numquam tamen cessabit movere nec mobile unquam quiescet secundum *Philosophum*³⁾ et *Commentatorem*⁴⁾ et hoc, quia in motore primo, propter quem motor coniunctus movet finaliter, nulla est potentia omnino nec essentialiter nec accidentaliter, quia non est potentia in corpore aeterno nec non aeterno. Unde ut dicit *Commentator*⁵⁾ in fine istius commenti, quod potentiae moventes, quae sunt in corporibus, sunt duobus modis, quia aut sunt potentiae in corporibus generabilibus et [fol. 163 r] corruptibilibus, et istae impossibile est, ut semper moveant se propter transmutationem eorum et propter transmutationem subiecti eorum. Unde talibus necessario accidit cessitudo. Alio modo sunt potentiae moventes in corporibus aeternis et istae, ut dicit, possibile est, ut semper moveant se, et ut non moveant semper. Possunt enim non semper moveri, scilicet finaliter, si posuerimus illud, ad quod semper moventur, scilicet primum motorem receptibilem transmutationis cuiuscunque modi; possunt autem semper

¹⁾ Averroes, *Physic.* I. VIII, com. 36, fol. 98 r.

²⁾ Averroes, *Physic.* I. VIII, com. 48, fol. 101 v.

³⁾ Aristoteles, *Physic.* I. VIII, c. 6.

⁴⁾ Averroes, *Physic.* I. VIII, com. 48, fol. 101 v.

⁵⁾ Averroes, *Physic.* I. VIII, com. 48, fol. 101 v—102 r.

movere, quando illud, ad quod semper moventur, fuerit intransmutabile aliquo modo transmutationis. Unde dicit Commentator¹⁾ XI *Metaphysicae* com. 37: „Primum movens movet primum motum ab eo, sicut movet amatum primum amans absque eo, quod amatum moveatur“; et iste motus est per modum finis, et ideo licet motor coniunctus, quantum est de se, possit non movere, inquantum tamen movet finaliter propter movens omnino immobile, numquam cessabit a motione et, quia illud est difficile ad intellegendum, vocatur locus iste lapsus sapientium, ut dicit Commentator²⁾; sed ut melius intellegatur, quomodo solus motus potest habere possibilitatem ex se et tamen necessitatem essendi ab alio secundum mentem Philosophi³⁾ et Commentatoris⁴⁾, ut patet commento 41, et nulla alia res, faciunt unam objectionem contra hoc, quia, si possibile ponitur in esse, licet sit falsum, non tamen accidit impossibile. Si igitur motus sit possibilis de se et secundum suam essentiam, ut dicit Commentator⁵⁾, si igitur ponitur quiescere, licet sit falsum, non tamen est impossibile, cuius oppositum dicit Commentator⁶⁾ in multis locis, ideo est dicendum, quod est duplex possibile esse. Est enim quoddam possibile secundum actum unius formae, quod est necesse esse secundum actum alterius formae secundum opinionem Philosophi⁷⁾, sicut caelum secundum actum formae suae est necesse esse et secundum actum motus est possibile esse et per primam formam habet caelum ordinem et connexionem ad primum necesse esse, a quo per huius ordinem habet moveri secundum actum. Aliud autem est possibile secundum actum unius formae et secundum actum nullius formae est necesse esse. Unde illud possibile secundo modo, si ponitur in esse, nullum accidit impossibile. Sed primum possibile propter annexum non potest poni in esse nisi per impossibile, quia caelum dependet ab eo necessario tanquam a fine, licet non efficienter, a quo dependet in motu et a quo efficienter habet moveri ita, quod secundum mentem Philosophi⁸⁾ motus caeli non potest poni non esse, nisi ponitur ordo et dependentia caeli ad primum non esse, et si ordo iste non esset, caelum non esset, quod est impossibile

¹⁾ Averroes, *Metaph.* I. XI, com. 37, fol. 322 rb.

²⁾ Averroes, *Metaph.* I. XI, com. 41, fol. 323 rb.

³⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. XI, c. 7.

⁴⁾ Averroes, *Metaph.* I. XI, com. 41, fol. 323 r.

⁵⁾ Averroes, *ibid.*

⁶⁾ Averroes, *ibid.*; *De substantia orbis*, fol. 258 rb—va.

⁷⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. XI, c. 7.

⁸⁾ Aristoteles, *ibid.*

secundum ipsum. Unde dicit Commentator¹⁾ *De substantia orbis* tractatu 4, quod dator continuationis ipsi motui est dator motus caeli, et nisi ipse esset, destrueretur ipse motus, et si motus destrueretur, caelum destrueretur, quia caelum non est nisi propter suum motum, et si motus caeli destrueretur, destrueretur motus inferiorum entium et sic mundus, ex quo verificatur, ut dicit, quod dator continuationis motus est dator esse omnibus aliis entibus licet aliter et aliter, quia motum causat efficienter, sed esse aliorum, scilicet aeternorum causat solum per causalitatem finalem. Per hoc potest dici ad illud, quod dicunt, quod, si tam intelligentia movens quam Deus essent a se incausabiliter, non esset maior ratio, quare unum dependeret ex alio quam econverso: dico, quod verum est, si inter ea non esset aliqua causalitas nec per modum efficientis nec finis. Sed non est ita, ut dictum est. Nam primum est causa finalis omnium qualitercunque entium. Causa verò immediata est primo motus, deinde omnium causatorum mediante motu et haec est mens Commentatoris²⁾ V *Metaphysicae* commento 5, ubi dicit, quod aliter fuit quaesita prima causa entium in scientia naturali et aliter in metaphysica, quia in metaphysica induxit ad sciendum primam formam omnium entium et ultimum finem. Sed tractatus suus in scientia naturali induxit ad sciendum primam materiam et formas naturales et primum motorem. Ecce expresse metaphysice loquendo Deus non est causa omnium nisi in duplici genere causae, formalis scilicet et finalis. Sed naturaliter loquendo est prima causa efficiens motus et eorum, quae per motum causantur, et istam eandem sententiam ponit Commentator³⁾ X *Metaphysicae* commento 7.

Ad secundam rationem, cum dicit, quod inter intelligentias est ponere intellegens et intellectum, dicitur, quod verum est. Sed prima causa secundum mentem Philosophi et Commentatoris causat intellegere substantiae separatae per modum finis, non autem per modum efficientis, ut dicit Commentator⁴⁾ XI *Metaphysicae* commento 43, quod in intelligentiis non est potentia neque agens, sed tantum est illic intellectus et intellectum perfectum et perficiens, sicut accidentalia perficiuntur adinvicem. Unde sicut inter artes est causa finalis, quia ordinantur ad unam, ita intelligentiae secundae respectu primae.

1) Averroes, *De substantia orbis*, fol. 259 rb.

2) Averroes, *Metaph. l. V*, com. 5, fol. 268 v.

3) Averroes, *Metaph. l. X*, com. 7, fol. 308 r.

4) Averroes, *Metaph. l. XI*, com. 44, fol. 324 r.; cf. com. 38 et 43.

Ad tertiam rationem, cum dicit, quod Deus secundum mentem Philosophi potest causare aliquid de nihilo, dicitur, quod falsum est. Ad probationem: Deus potest aliquem effectum immediate causare, dicitur, quod accipiendo causalitatem per modum finis sic est aliqua intelligentia immediate causata a primo. Similiter dicitur: secundum causalitatem causae efficientis potest Deus aliquem effectum immediate causare, ita quod sit immediatio a parte effectus, non autem ex parte causae. Iste autem effectus est motus, quem tamen Deus secundum mentem Philosophi¹⁾ immediate non causat efficienter, ut dictum est. Et cum dicit: effectus immediatissimus Deo a Deo creatur, dicitur, quod falsum est, et quando probat, quia effectus immediatissimus non praesupponit alium effectum, dicitur, quod non praesupponit effectum a causa effeciente. Sed praesupponit causatum causalitate finis, quia substantia caeli, quae dependet a primo, sicut a causa finali, praesupponitur motui, sicut illud in quo est potentia ad istum, et tamen motus est effectus immediatissimus, dico accipiendo immediationem ex parte effectus.

Ad quartam rationem, cum dicit: si aliquid est producibile a Deo, illud est per se unum, dicitur, quod haec est falsa, quia secundum Philosophum²⁾ forma non generatur, sed compositum in omni genere. Nunc autem solum in genere substantiae est compositum per se, scilicet ex potentia sui generis et ex actu et in nullo alio genere, quia potentia in aliis generibus non est propria, sed solum appropriata, et ideo ex tali potentia et suo actu non fit unum nisi per accidens et ideo, cum secundum mentem Philosophi³⁾ primum, quod producitur a Deo efficienter, sit motus, ideo dicitur, quod primum productum est compositum per accidens, cum potentia primi mobilis extrahitur ad actum motus et, cum dicit ultra: si sit compositum, quaelibet pars est creabilis, dicitur, quod non, quia nulla pars est creabilis, sed una pars est educibilis de potentia alterius sicut motus de potentia mobilis.

Ad quintam rationem, qua vult probare, quod Deus potest producere aliquid de nihilo, ita quod non esse praecedit duratione, quando primo dicit, quod prima causa potest producere aliud a se voluntarie, conceditur, et cum dicitur, quod producitur voluntarie, producitur contingenter, dicitur, quod istam consequentiam non concederet Philosophus. Ad probationem: Deus non vult aliud a se necessario, dicitur, quod Philosophus istam negaret et to-

¹⁾ Aristoteles, Metaph. I. XI, c. 7.

²⁾ Aristoteles, Metaph. I. VI, c. 7.

³⁾ Aristoteles, Metaph. I. XI, c. 6.

tum processum suum in arguendo, sicut etiam negat Avicenna 9 *Metaphysicae*¹⁾ c. 4, qui dicit, quod „omne esse, quod est a Deo, non est secundum viam naturae ad hoc, ut esse omnium sit ab eo non per cognitionem, sed per beneplacitum eius; quomodo enim hoc esset, cum sit prima intelligentia“. Unde subdit, quod „eventus omnium est ab eo sic, quod sua essentia est sciens, quod sua perfectio et sua excellentia est, ut fluat ab eo bonitas, et hoc est de comitantibus suam gloriam, qua ipse²⁾ diligit seipsum“. Patet igitur, quod de mente Avicennae est, quod Deus voluntate produxit res et tamen necessario. Sic enim Spiritus Sanctus secundum fidem producitur voluntate et tamen non contingenter.

Ad sextum, quando dicit, quod, nisi principium ageret contingenter, nihil fieret contingenter, negatur haec consequentia secundum Philosophum³⁾, quia, ut dicit Commentator⁴⁾, in tractatu *De generatione et [corruptione]*, causa quae est quasi materia in generabilibus et corruptibilibus, est, in quo est contingentia, et ea, in quibus est contingentia, sunt generabilia et corruptibilia. Quando dicit ultra: si prima causa movet necessario, et secunda, cum non moveat nisi mota, dicitur, quod licet prima causa moveat necessario, quantum est de se, tamen effectus potest devenire contingenter vel propter indispositionem materiae, in qua effectus debet fieri, vel propter libertatem voluntatis. Nam licet motus corporum caelestium, quantum in ipsis est, necessitatem habeat, tamen effectus eorum in istis inferioribus deficere potest propter indispositionem materiae et propter animam rationalem, quae habet liberam electionem, et ita cum Deus nihil agit secundum mentem Philosophi nisi mediante motu, licet eius actio sit necessaria, quantum est de se, potest tamen deficere ab effectu sicut et motus caeli ex eisdem causis.

[4.] Contra se arguit iste dupliciter secundum Commentatorem⁵⁾ XI *Metaphysicae* com. 36. In separatis a materia idem est finis et effectus. Si igitur Deus sit causa finalis omnium, igitur est causa efficiens omnium.

Item quae dependent ab aliquo secundum esse, dependent ab eo tanquam a causa efficiente, quia efficiens dat esse finis, dat agere. Unde etiam agens est causa finis in essendo. Sed finis est causa agentis

1) Avicenna, *Metaph.* tr. 9, c. 4 (ed. Venetiis 1495).

2) Ms. habet ipsum.

3) Aristoteles, *Metaph.* l. XI, c. 7; *De gen. et corr.* l. II, c. 9.

4) Averroes, *De gen. et corr.* l. II, com. 51, fol. 195 rb.

5) Averroes, *Metaph.* l. XI, com. 36, fol. 321 vb.

seu efficientis in agendo. Si igitur omnia secundum Philosophum¹⁾ dependent a primo in essendo, omnia dependent ab eo sicut a causa efficiente.

[5.] Ad primum respondet, quod in separatis a materia idem est efficiens et finis respectu motus. Unde dicit ibi Commentator²⁾, quod movens corpus caeleste, cum sit separatum, est movens, quia agit motum, et est finis motus. Unde conceditur, quod motus habet causam efficientem et finalem, non autem substantia aeterna.

Ad secundum, quando dependent ab aliquo secundum esse etc., dicitur, quod ista propositio universaliter accipiendo est falsa, quia substantia aeterna dependet a primo secundum esse et tamen non sicut a causa efficiente. Ad probationem, quia efficiens dat esse finis agere, dicitur, quod verum est in his, quae causantur per motum, et cum dicitur, quod agens est causa finis in essendo, dicitur, quod est duplex finis, ut dicit Commentator³⁾ XI *Metaphysicae* com. 37: Unus est finis, quo perficitur illud, quod movetur, sicut sanitas est perfectio eius, quod movetur propter sanitatem, et talis finis est agens causa in essendo, et quidam finis est substantia extrinseca a re, quae movetur ad eam, ut assimiletur ei, et isto modo dominus est finis, ad quem ordinantur omnes actiones servorum, et isto modo omnia ordinantur ad primum sicut ad finem, ut dicit Commentator⁴⁾, et istius finis non est agens causa in essendo, sed econverso iste finis est causa omnium non solum in essendo, sed est causa omnium causarum in causalitate sua. Sed primus finis est causa aliarum causarum et prior eis, ut dicit Avicenna⁵⁾ VI *Metaphysicae* c. 5. Ait enim sic: „Causa finalis in causalitate praecedat causas assumptas, recipientes et formales et similiter causa finalis in suo esse in anima prior est ceteris. Respectu igitur causalitatis et respectu modi essendi in intellectu non est aliqua causa prior causa finali, immo ipsa est causa essendi ceteris causis. Sed esse aliarum causarum in effectu est causa essendi istam in effectu“, et sic est causa causarum, cum scilicet iam habuerit esse in effectu, qualis est finis primus, de quo loquitur Commentator⁶⁾.

¹⁾ Aristoteles, *Metaph.* I. XI, c. 7.

²⁾ Averroes, *Metaph.* XI, com. 36, fol. 321 vb.

³⁾ Averroes, *Metaph.* I. XI, com. 37, fol. 322 r.

⁴⁾ Averroes, *Metaph.* I. XI, ibid.

⁵⁾ Avicenna, *Metaph.* tr. 6, c. 5.

⁶⁾ Averroes, *Metaph.* I. XI, com. 37, fol. 322 r.

Sed de fine secundo addit Avicenna¹⁾: „Si enim non habuerit esse in effectum, sed suum esse fuerit prius suo esse in effectum, tunc nulla aliarum causarum erit sibi causa nec etiam agens, qui facit habere esse. Igitur causa finalis non est causa ceterarum causarum, secundum quod est causa finalis, sed secundum quod iam est aliquid in effectum. Cum enim non habeat esse in effectum, hoc est, cum habeat esse non effectum, non est causatum ullo modo“, et talis est finis secundo modo dictus a Commentatore et est finis omnium entium. Dicunt igitur isti et sui sequaces, quod prima causa non movet effective, tum quia omne movens effective habet determinatam proportionem ad mobile, tum quia omne movens effective movet vel agit propter aliud a se, non propter se. Sed primae causae ad nullum effectum creatum potest esse proportio, quia infiniti ad finitum nulla est proportio. Similiter Deus agit omnia propter se.

[6.] Ad primum istorum potest dici, quod ista propositio habet intellegi de agente finitae virtutis et per motum, non autem de Deo, nec requiritur inter causam et effectum proportio aequalitatis et commensurationis, sed sufficit proportionalitas imitationis.

Per idem ad secundum, quod procedit de agente imperfecto, non autem de Deo.

[7.] Contra istam opinionem arguo sic per Philosophum²⁾: In omni genere est dare unum primum, quod est metrum et mensura omnium posteriorum. Ergo in genere causarum efficientium est dare unam primam causam et similiter in genere causatorum. Accipio ergo primum causatum: aut est causatum a seipso aut ab alio effective; non a seipso, quia secundum Augustinum³⁾ I *De trinitate* c. 1. nulla res potest se ipsam gignere, ut sit; ergo est ab alia causa effective, non nisi a prima; quare etc.

Item tanta est improportio motus, qui ponitur effectus primo causatus a Deo effective, quanta et alterius cuiuscunque effectus posterioris. Si igitur hoc non obstante tu ponis motum a Deo causatum effective, eadem ratione potest esse causa efectiva cuiuscunque alterius effectus causati. Potest igitur dici, quod Deus proprie est causa efectiva, nec obstat, quod non agit per motum, quia numquam agens agit per motum nisi propter imperfectionem virtutis

¹⁾ Avicenna, *Metaph.* tr. 6, c. 5.

²⁾ Cf. Aristoteles, *De caelo et mundo* l. II, c. 4; *Metaph.* l. III, c. 2; l. IX, cc. 1 et 6.

³⁾ Augustinus, *De trinitate* l. I, c. 1, n. 1 (PL 42, 820).

activae et resistantiam a parte mobilis. Sed Deus secundum philosophos est infinitae virtutis in vigore nec resistantia a parte mobilis actionem suam potest impedire. Ideo potest efficere quemcunque effectum et hoc est, quod dicitur Jo 1¹⁾: *Omnia per ipsum facta sunt.*

[Articulus secundus.]

Sequitur de secundo articulo, an scilicet cooperatio Dei requiratur in omni actione creaturae. Dicunt aliqui, quod non in operatione creaturae agentis per modum naturae concurrunt Deus et creatura, immo Deus agit totum, sicut recitat Thomas²⁾ in quaestionibus *De potentia*. Dicit sic: „Quidam enim Loquentes in lege Maurorum, ut Rabbi Moyses³⁾ narrat, dixerunt omnes huius naturales formas accidentia esse, et cum accidens in aliud subiectum transire non possit, impossibile reputabant, quod res naturalis per formam suam aliquo modo induceret similem formam in aliquo subiecto. Unde dicebant, quod ignis non calefacit, sed Deus causat calorem in re calefacta. Sed si obiceretur contra eos, quod ex applicatione ignis ad calefactibile, semper sequebatur calefactio, nisi per accidens esset aliquod impedimentum, quod ostendit ignem esse causam caloris per se: dicebant, quod Deus statuit, ut cursus iste servaretur in rebus, quod numquam ipse calorem crearet nisi in apposito igne, non quod ignis appositus [fol. 164 r] aliquid ad calefactionem faceret“.

„C o n t r a ista positio repugnat sensui. Nam cum sensus non sentiat nisi propter hoc, quod patitur a sensibili, quod, si in visu sit dubium propter eos, qui visum extramittendo fieri dicunt, in tactu tamen et in aliis sensibus est manifestum, sequitur, quod homo non sentiat calorem ignis, si per ignem agentem non est similitudo caloris ignis in organo sentiendi. Si enim ista species caloris in organo ab alio agente fieret, tactus, etsi sentiret calorem, non tamen calorem ignis nec sentiret ignem esse calidum, cum tamen hoc iudicet sensus, cuius iudicium in proprio sensibili non errat. Repugnat etiam rationi, per quam ostenditur in rebus naturalibus nihil esse frustra. Nisi autem res naturales aliquid agerent, frustra essent eis formae et virtutes natu-

¹⁾ Jo 1, 3.

²⁾ Thomas Aquin., *De potentia* q. 3, a. 7. Omnia usque ad *Item* Commentator hinc desumpta sunt.

³⁾ Cf. Et. Gilson, *Pourquoi saint Thomas a critiqué saint Augustin*, in: *Archives d'histoire doctrinale et littéraire du moyen âge* 1 (1926/27) 5—127.

rales collatae, sicut si cultellus non incideret, frustra haberet acumen. Frustra etiam requireretur appositio ignis ad ligna, si Deus absque igne ligna combureret. Repugnat etiam divinae bonitati, quae sui communicativa est, [ex quo factum est,] quod res similes Deo [fierent] non solum in esse, sed in agere“.

Item Commentator IX¹⁾ *Metaphysicae* com. 7 dicit: „Moderni ponunt unum agens omnia entia sine medio, scilicet Deum et convenit istis, quod, ut nullum ens habeat actionem propriam naturaliter, et cum entia non habuerint actiones proprias, non habebunt essentias proprias. Actiones enim non diversificantur nisi per essentias diversas“.

Ista opinio est valde extranea a natura hominis, et qui recipiunt huiusmodi, non habent cerebrum habile naturaliter ad bonum et [Commentator]²⁾ VII *Metaphysicae* com. 37 dicit, quod Deus non transmutat naturam nisi mediante agente naturali.

Ad rationem positionis eorum dici potest: „Frivola³⁾ est. Nam cum dicunt, quod accidens non potest transire de subiecto in subiectum, intellegitur de accidente eodem secundum numerum, non quia⁴⁾ simile accidens secundum speciem possit induci in aliud subiectum virtute agentis, quod alicui subiecto naturali inest, et hoc est necesse in omni actione naturali contingere. Supponunt etiam falsum, scilicet quod omnes formae sunt accidentia, quia sic nullum esset in rebus naturalibus esse substantiale, cuius principium forma accidentalis esse non potest, sed substantialis tantum. Periret etiam generatio et corruptio et multa alia inconvenientia sequerentur.

Avicebron⁵⁾ in libro *Fontis vitae* dicit, quod nulla substantia corporalis agit, sed vis spiritualis penetrans per corpora omnia agit in eis, et tanto corpus aliquod est magis activum, quanto est purius et subtilius. Per consequens a virtute spirituali penetrabilius. Et ad hoc inducit tres rationes, quarum prima est, quod omne agens post Deum requirit materiam subiectam, in quam agat. Corporali autem substantiae non subicitur aliqua materia. Ergo agere non potest.

¹⁾ Averroes, *Metaph.* l. IX com. 7, fol. 301 va.

²⁾ Averroes, *Metaph.* l. VII, com. 37, fol. 288 v.

³⁾ Haec omnia usque ad Ideo dicit verbotenus fere desumpta sunt ex De potentia, q. 3, a. 7.

⁴⁾ Ms. habet quin.

⁵⁾ Avencebrol, *Fons vitae*, tr. III, 17, Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters I, 2—4, pag. 114 s.

Item quia quantitas impedit actionem et motum, cuius signum ponit, quod multiplicatio quantitatis retardat motum et addit corpori gravitatem et ita substantia corporalis, quae est implicata quantitati, agere non potest.

Item substantia corporalis est remotissima a primo agente, quod est agens tantum et non patiens. Substantiae autem mediae sunt agentes et patientes. Ideo oportet substantiam corporalem, quae est ultima, esse patientem tantum et non agentem.

Sed istae rationes non movent, quia accipitur in arguendo, ac si tota substantia corporalis esset una et eadem substantia numero et non esset secundum esse substantiale distincta, sed solo accidente. Si enim diversae substantiae corporales substantialiter distinctae accipiuntur, tunc non quaelibet substantia [corporalis] erit ultima entium et remotissima a primo agente, sed una erit alia superior et primo agenti propinquior et sic una in aliam agere poterit.

Iterum in rationibus praedictis consideratur substantia corporalis tantum secundum rationem materiae et non ratione suae formae, cum tamen sit ex utroque composita. Substantiae corporali competit esse ultimum entium et non habere ulterius subiectum ratione materiae, non autem ratione formae, quia ratione formae est inferius subiectum. In substantiis corporalibus est actio mutua, cum in materia unius sit forma alterius in potentia et e converso“.

„Ad aliud, quod quantitas non tollit motum et actionem, cum nihil movetur nisi sit quantum, sicut probatur VI *Physicorum*¹⁾. Nec est verum, quod quantitas sit causa gravitatis. Hoc reprobat IV *Ethicorum*²⁾ et *Metaphysicae*³⁾. Unde quantitas addit ad velocitatem motus naturalis. Nam corpus grave quanto maius, tanto velocius fertur deorsum et leve sursum. Licet etiam quantitas non sit actionis principium, non tamen potest assignari ratio, quare actionem impediatur, cum magis sit quoddam instrumentum qualitatis activae“.

Ideo dicit Thomas⁴⁾ in quaestionibus *De potentia*, quod non est sic intellegendum, quod „Deus in re naturali operetur, quasi res naturalis nihil operetur, sed quia natura vel voluntate operante Deus cooperatur; quod quidem qualiter intellegi possit, ostendendum est. Circa quod sciendum est, quod actionis alicuius rei res aliqua dici potest causa multipliciter: uno modo, quia tribuit ei virtutem ope-

1) Aristoteles, *Physic.* I. VI. cc. 4 et 10.

2) Potius Aristoteles, *De caelo* I. IV, c. 2.

3) Cf. Aristoteles, *Metaph.* I. IV, c. 13.

4) Thomas Aquin., *De potentia*, q. 3 a. 7.

randi, sicut dicitur VIII *Physicorum*¹⁾, quod generans movet grave et leve, inquantum dat ei virtutem, per quam consequuntur tales motus et hoc modo Deus agit omnes actiones naturae, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt, non solum sicut generans virtutem tribuit gravi et levi et eam ulterius non conservat, sed sicut continue tenens virtutem in esse, quia est causa virtutis collatae, non solum quantum ad fieri sicut generans, sed etiam quantum ad esse, ut sic possit dici Deus causa actionis, inquantum causat et conservat naturalem in esse. Unde aliquo modo conservans virtutem dicitur facere actionem, sicut dicitur, quod medicinae conservantes visum faciunt videre, sed quia nulla res per se ipsam movet vel agit, nisi sit movens non motum. Tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius, inquantum moveat eam ad agendum, in quo non intellegitur collatio aut conservatio virtutis activae, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli, ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli [ad] scindendum movendo ipsum; et quia natura inferior agens non agit nisi mota eo, quod huiusmodi corpora inferiora sunt alterantia alterata, caelum autem est alterans non alteratum et tamen non est movens nisi motum et non cessat quousque perveniatur ad Deum, sequitur de necessitate, quod Deus sit causa actionis cuiuslibet rei naturalis ut movens et applicans virtutem ad agendum. Quarto modo unum est causa alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti, et hoc modo oportet dicere, quod Deus est causa omnis actionis naturalis. Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur effectum et de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali invenimus, quod est ens et quod est res naturalis vel talis naturae, quorum primum est commune omnibus entibus, secundum omnibus rebus naturalibus, tertium in una specie [164 v], et quartum, si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc igitur individuum agendo non potest constituere aliquid in simili proprie, nisi prout est instrumentum istius causae, quae respicit totam speciem et ulterius totum esse naturae inferioris, et propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus nisi per virtutem corporis caelestis nec aliquid ad esse nisi per virtutem Dei. Ipsum esse est communissimus effectus primus et intimior omnibus aliis effectibus et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam

¹⁾ Aristoteles, *Physic.* I. VIII, c. 4.

talis effectus. Ideo dicitur libro *De causis*¹⁾: „Intelligentia non dat esse, nisi prout est in ea virtus divina“. Sic igitur Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinae virtutis operantis, sic ergo si consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare erit immediatum ad suum effectum; si vero consideremus virtutem, qua fuit actio, sic virtus superioris causae erit immediatior effectui quam virtus inferioris. Nam virtus inferior non coniungitur effectui nisi per virtutem superioris, sicut dicitur libro *De causis*²⁾, quod virtus causae primae prius agit in causatum et vehementius ingreditur ipsum. Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantum dat virtutem agendi et in quantum conservat eam et in quantum applicat actioni et in quantum eius virtute omnis alia virtus agit. Et si coniunxerimus cum his, quod Deus sit sua virtus et quod sit intra rem quamlibet non sicut pars essentiae, sed sicut tenens rem in esse, sequetur, quod ipse in qualibet operatione operetur immediate non exclusa tamen operatione voluntatis vel naturae“. Ad istum intellectum loquitur Anselmus³⁾ *De concordia et praedestinatione(!) gratiae et libero arbitrio* c. 33. Non facit aliquid iniustum, qui tamen facit omnes actiones et motus, quia ipse facit res, a quibus et ex quibus et per quas et in quibus fiunt et nulla res habet potestatem volendi aut faciendi nisi illo dante. Ideo dicit Anselmus⁴⁾: „Si diligenter consideremus, iste verius dicitur facere omne, quod facit, nulla autem voluntas, quia fecit naturam et instrumentum volendi“.

[Articulus tertius.]

[1.] Ex isto sequitur tertius articulus, quod sufficit generalis influentia vel illapsus, quomodo Deus est in qualibet creatura per essentiam, praesentiam et potentiam, per manutenentiam et gubernationem. Per illapsus autem Deus intimatur omni creaturae naturaliter et modo congruente naturae ad duo, scilicet ad actum naturae primum, qui est esse stabiliendum, ut persistat, et ad actum naturae secundum, qui est operari producendum, ut exsistat, sive in illapsu non potest creatura in esse persistere neque propriam operationem elicere, quia per illapsus Deus creaturam in esse conser-

¹⁾ Liber de causis, § 9 (ed. Bardenhewer).

²⁾ Ibid., § 1.

³⁾ Anselmus, *De concordia et praedestinatione gratiae et libero arbitrio* q. 3, c. 5 (PL 158, 528).

⁴⁾ Ibid., c. 11 (PL 158, 537).

vat et cooperando omnem actionem suam sive operationem illi ministrat. IV *Super Genesim* c. 14¹⁾: „Creatoris namque potentia et omnipotentis atque omnia tenentis virtus causa est subsistendi omni creaturae, quae virtus ab eis, quae creata sunt, regendis, si aliquando non cessaret, simul et istarum cessaret species, omnisque creatura concideret“, et infra: „Neque mundus in ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen suum subtraxerit“. Item libro *De causis*²⁾ propositione nona: „Omnis intelligentiae fixio, id est permanentia et essentia est per bonitatem primam, quae est causa prima“. Multo fortius aliae creaturae non figuntur in esse nisi per Deum dicente Gregorio³⁾ 16 *Moralium* super illud Job⁴⁾ 23: *Ipse solus est*: „Numquid non sunt angeli etc., cum in rerum natura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur: Ipse solus est. Sed aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter atque immutabiliter esse. Sunt haec omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis non subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Cuncta namque in illo subsistunt, a quo creata sunt, nec ea, quae vivunt, sibimetipsis vitam tribuunt nec ea, quae moventur et non vivunt, suis nutibus ad motum ducuntur. Sed iste cuncta movet, qui quaedam vivificat, quaedam vero non vivificata in extrema[m] essentia[m] mire ordinans servat; cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu teneret“. Ex istis patet primum istorum duorum.

De secundo et post simul addit⁵⁾: „Omnia itaque, quae creata sunt, per se nec subsistere praevalent nec moveri. Sed intantum subsistunt, inquantum ut esse debeant acceperunt; intantum moventur, inquantum instinctu occulto disponuntur“. Sequitur: „Arescit terra, concutitur mare, ignescit aer, obtenebrescit caelum, inardescunt homines, movebuntur angelicae virtutes; numquid instinctionibus suis et non magis divinis impulsionibus, agitantur?“ Haec Gregorius et recitat hoc Henricus⁶⁾, *Quodlibet* 13, q. 3 et Augustinus⁷⁾ IV *Super gen.* c. 14: Dominus requiescit, tamen ea, quae coniderat, gubernare non cessavit. Universae etiam creaturae admi-

¹⁾ Augustinus, De gen. ad litt. l. IV, c. 12, n. 22 (PL 34, 304).

²⁾ Liber de causis, § 9 (ed. Bardenhewer).

³⁾ Gregorius Magnus, Moral. l. XVI, c. 37 (PL 75, 1143).

⁴⁾ Job 23, 13.

⁵⁾ Gregorius, ibid.

⁶⁾ Henricus Gand., Quodl. XIII, q. 3.

⁷⁾ Augustinus, De gen. ad litt. l. IV, c. 12 (PL 34, 304 s.).

nistrationem cum Patre egit, ut dicit eodem c. 3¹⁾ et VII *De civitate Dei* c. 30²⁾. Sic (ut) Deus creaturas condidit, ut eas motus proprios habere sinit. Ex quo sequitur, quod non requiritur in quacunque operatione creaturae actualis Dei cooperatio effectiva.

[2.] Hoc apparet praecipue in actione voluntatis, cuius libertas tolleretur, si Deus actualiter effective cooperaretur. Arguo sic: Voluntas non est libera respectu istius actus, qui dependet ab aliqua causa, cuius causatio non est in potestate sua, sed in potestate alterius causae. Sed causatio Dei non est in potestate voluntatis. Ergo si actus volendi causaretur actualiter a Deo, non erit in potestate voluntatis. Per consequens voluntas non erit libera respectu volutionis nec habebit dominium sui actus.

Item ista potentia non est libera respectu actus sui, quae ad actum suum determinatur a causa superiori. Sed si Deus esset immediata causa volutionis meae, voluntas mea determinatur ad actum a causa superiori; ita non esset libera. Maior patet, quia de ratione liberi est, quod ex se determinetur ad actum. In hoc distinguitur a naturali. Minor probatur per hypothesim, quia, si Deus sit causa volutionis meae, et Deus [et] voluntas non sunt causae [aequales], ex quo nec voluntas potest esse causa superior, relinquitur ergo, quod Deus erit causa superior. Ergo voluntas non movet ad actum nisi quia mota a causa superiori, per consequens non libere.

Item si Deus sit immediata causa volutionis meae, non esset aliquis actus voluntatis meae contingens propter habitudinem ad voluntatem meam. Consequens falsum. Probatio consequentiae: Illud non est contingens in habitudine ad istam causam, quae determinatur ad actum ex determinatione causae superioris. Sed si haec [fol. 165 r] volutio sit a Deo immediate causante, est determinata aeternaliter ad alteram partem. Hanc determinationem consequitur voluntas mea in tempore. Ergo voluntas mea non erit contingens.

Item ex quo voluntas creata est causa perfectissima, si ista non possit esse totalis causa volutionis, ergo nulla causa creata poterit esse sufficiens causa actus sui. Consequens falsum, quia illud est totalis causa respectu alicuius effectus, quod, si per impossibile nihil aliud esset, esset ab eo, qui ponitur causa. Sic se habet subiectum respectu suae passionis, quod, si nihil aliud sit passio, esset sufficienter a subiecto sicut a totali causa. Si igitur subiectum vel aliqua causa creata poterit esse sufficiens et totalis causa respectu actus,

¹⁾ Augustinus, *ibid.* c. 3 (299).

²⁾ Augustinus, *De civ. Dei* l. VII, c. 30 (PL 41, 219 s.).

maxime hoc debet attribui voluntati, quod possit producere volutionem ut totalis causa. Sed non possunt causae duae causae totales respectu eiusdem effectus, nec cum causa totali potest alia causa concausare, quia tunc una non esset totalis causa, si alia causa concausaret. Si tunc voluntas potest esse causa totalis et sufficiens respectu volutionis, non potest alia causa concausare quantum ad istum effectum et sic actus voluntatis nullo modo erit effective a Deo.

Item per simile argumentum arguo econverso. Si Deus causet volutionem, immediate erit totalis causa et causat per hoc, quod vult eam esse. Nam Deum velle creare mundum est mundum esse. Si igitur, quia Deus vult aliquid sufficienter, causat illud, ergo Deum velle volutionem meam esse est causare eam totaliter. Si hoc, ergo est in nullo (sine) causa volutionis meae, quia nihil potest esse concausa cum totali causa. Similiter Deus est causa prior; ergo potest in isto priori [velle] volutionem meam in esse; ergo in secundo instanti intellegitur volutio mea causata; sic nulla causalitas est in me respectu volutionis meae, quia sufficienter ponitur in esse per Deum, nec valet dicere, quod aliud est instans naturae, quo Deus causat et quo voluntas causet, quia sic in divinis Filius nihil faceret respectu Spiritus Sancti spirati. Nam ex quo in priori naturae Pater spirat, totum spiraret; nihil sic faceret Filius. Similiter in proposito: si Deus sit totalis causa, ponit effectum completum in esse, ita quod in secundo instanti voluntas mea nihil causabit.

Item si Deus cooperetur effective et actualiter in actione quacunque creaturae, ergo et in comestione pomi. Consequens falsum, quia sic fecisset contra prohibitionem suam, et probibuit, ne comedant; ergo antecedens falsum.

Item Deus omnia ordinat propter debitum finem et omnia facit ex caritate. Sed actus elicited a caritate perfecta est ordinatissimus; ergo nullus actus est inordinatus a Deo nec a caritate. Si tunc voluntas, quo eliciat actum, oportet necessario, quod sit ordinatus, per consequens bonus et numquam malus, vel si sit inordinatus, idem actus simul erit ordinatissimus et inordinatus.

Item ex hoc sequitur, quod homo numquam peccaret, quia voluntas concordans regulae suae recte non peccat. Voluntas divina est regula humanae voluntatis. Si ergo voluntas humana eliciat actum conformiter voluntati divinae, non peccat. Si tunc voluntas divina vult hoc, quod aliquis facit, non peccat.

Item sequitur, quod Deus esset causa peccati, quando est peccatum commissionis, quia ibi est aliquis actus. Hic dicitur, quod Deus

non est causa peccati nisi mediate, quia creavit voluntatem, quae potest elicere actum peccati. Sic Deus potest esse causa actus peccati subtracti peccato, non tamen deformitatis immediate. Contra: Ex hoc sequitur, quod actus meritorius non plus inesset voluntati a Deo quam demeritorius, quia aequae voluntas est causa libera et contingens respectu unius sicut respectu alterius. Si igitur propter libertatem ponimus voluntatem totalem causam et non Deum respectu actus peccati, eadem ratione et respectu meriti.

Ad illud dicitur, quod Deus est causa actus meritorii, quia dat gratiam vel caritatem, mediante qua elicitur talis actus; nec sic autem est causa actus peccati, quia actus mali non est causa effectiva, sed defectiva secundum Augustinum¹⁾ XII *De civitate Dei* et haec est voluntas defectiva; ideo voluntas est causa deformitatis in actu. Ad actum autem positivum subtractum bene concurrat Deus sicut causa universalis et remota. Quomodo autem concurrunt Deus et liberum arbitrium ostendit Bernardus²⁾ *De libero arbitrio*. Statim post principium quaerit, quid agit liberum arbitrium. Breviter respondendo dicit Bernardus: „Tolle liberum arbitrium: non erit, quod salvetur; tolle gratiam: non erit, unde salvetur. Opus hoc sine duobus effici non potest, unum a quo fit, alterum, cui vel in quo sit. Deus auctor salutis est, liberum arbitrium tantum capax nec dare istam nisi Deus nec capere valet nisi arbitrium liberum. Quod ergo a solo Deo etiam soli datur libero arbitrio tam absque consensu esse non potest accipientis quam absque gratia dantis et ita gratiae operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit“. Ecce quomodo dicit aliquid cooperari alteri, etsi effective et actualiter non cooperetur. Sic Deus potest dici cooperari actioni bonae creaturae, quando consentit actioni et sibi complacet actio ista. Item Ecc. 15³⁾: *Deus fecit hominem rectum et reliquit eum in manu consilii*; non autem eum sic reliquisset, si semper actualiter operetur.

Item illud arguitur de Deo respectu operationis naturae, quia, si Deus operetur in qualibet operatione naturae, aut una aut eadem operatione operatur Deus et natura aut diversis; non una et eadem, quia unitas operationis attestatur unitati naturae agentis; unde quia in Christo sunt duae naturae, sunt et duae operationes. Nec diversis.

¹⁾ Augustinus, De civ. Dei I. XII, c. 7 (355).

²⁾ Bernardus, De gratia et libero arbitrio 1, 2 (PL 182, 1002).

³⁾ Eccl. 15, 14.

operationibus, quia diversae operationes non uniuntur ad idem factum terminari, cum motus et operationes penes terminos distinguantur, sicut dicit Philosophus¹⁾).

Item si Deus cum natura operante actualiter operetur, oportet, quod operando aliquid rei naturali tribuat. [Nam agens in agendo actu aliquid facit; aut ergo illud sufficit ad hoc, quod natura possit per se operari, aut non. Si sic, cum etiam virtutem naturalem Deus naturae tribuerit, eadem ratione potest dici, quod etiam virtus naturalis sufficiebat ad agendum, nec oportebit, quod Deus, postquam virtutem naturae contulit, ulterius ad eius operationem aliquid operetur. Si autem non sufficiat, oportet, quod ibi tertium aliquid aliud faciat, et si illud non sufficit, iterum aliud et sic in infinitum, quod est impossibile. Nam unus effectus non potest dependere ab actionibus infinitis. Ergo standum est in primo dicendo, quod virtus naturalis sufficit ad actionem naturalem sine hoc, quod Deus aliquid actualiter operetur.

Item illa, quae sunt omnino disparata, possunt ab invicem separari. Sed actio Dei et naturae sunt huiusmodi, cum Deus agat per voluntatem, natura per necessitatem.

Teneo ergo, quod non oportet, quod Deus actualiter effective operetur in operatione creaturae, immo ex hoc, quod dedit huic rei talem formam, quae est principium agendi, potest res ex se effective exire in actum sine aliquo alio cooperante supposita generali influenza et manutenentia et gubernatione et conservatione primae causae.

[3.] Contra: Hoc posito non posset [fol. 165 v] salvari ordo essentialis causarum, si prima causa et superior, cuiusmodi est Deus, non agat immediate cum voluntate simul natura ad effectum, immo causa proxima erit prima, si sit totalis causa effectus.

Ad illud potest dici, quod praeter duos modus ordinis causarum essentialis, scilicet prout unum movet, inquantum movetur ab alio, vel prout neutrum movet aliud, sed utrumque concurrit sicut causa partialis ex perfectione sua, quam ab alia causa partiali non accipit, quia in omnibus istis utraque causa per se diminuta est, potest poni tertius modus in causis totalibus, ita quod secunda causa non sit partialis causa, sed totalis causa, nec videtur hoc inconveniens. Nam necesse est ponere aliquam creaturam respectu alicuius effectus esse causam per se partialem, ita quod ad hanc partialitatem in causando non videtur reduci in aliquam causam, nisi inquantum accepit suum esse ab alia causa priori, sine quo non posset causare.

¹⁾ Aristoteles, Metaph. I. IV, c. 17; De casu I. I, c.

Cum ergo eiusdem rationis quoad limitationem et imperfectam entitatem sit totus effectus et pars, licet totus aliquo modo excedat, non repugnabit causae creatae totaliter aliquem effectum (causa) parvae entitatis totaliter per se causare nec per hoc ponitur infinitas vel illimitatio in re et erit tantum ordo essentialis causarum per hoc, quod est prior causa totalis causa omnis eius, quod est in causa secunda et sui esse, per consequens sui posse, et sic posset poni Deus causa essentialiter ordinata ad voluntatem, non quod semper, quando voluntas determinaret se ad actum, voluntas divina immediate causaret eundem actum, sed tantum quod primo dedit tali naturae talem potentiam, ut possit ex se totaliter actum suum elicere nullo alio immediate causante nisi ipsa, ita quod non oportet in isto genere causae aliquid aliud ponere ad concausandum, ex quo voluntas est totalis causa et sufficiens, quia si sic, idem bis causabitur; dependet tamen voluntas essentialiter a Deo, a quo habet suum esse. Sed habito esse a Deo potest ut totalis causa in actum, sicut grave non impeditum movetur deorsum.

[4.] Contra Is.¹⁾ 26 dicitur: *Omnia opera nostra es in nobis, Domine.*

Item sicut ars praesupponit naturam, ita natura Deum. Sed in operatione artis operatur natura, sicut igne emollitur ferrum, ut percussione fabri extundatur, ergo et Deus in operatione naturae.

Item II *Physicorum*²⁾: „Homo generat hominem et sol“ Si tunc actio hominis dependet a sole, multo magis operatio naturae a Deo.

